



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Ad Spiritum Sanctum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

pato Sacrificio. Non potuisti unâ horâ vigilare
mecum? Matth, 26,

*Orationes (quarum unam alteramve post Sacrum
vel mentaliter vel vocaliter orare soleo) partim
hominibus Societatis partim aliis accommo-
data sunt, & sunt sequentes.*

Ad Deum Patrem.

DEus, qui nos à sæculi vanitate conversos,
ad bravium supernæ vocationis accendis,
pectoribus nostris purificandis illabere, & gra-
tiam nobis, quâ in te perseveremus, infunde;
ut protectionis tuæ muniti præfidiis, quod te
donante promissimus, impleamus: & nostræ
professionis executores effecti, ad ea, quæ per-
severantibus in te promittere dignatus es, per-
tingamus.

Ad Dominum JESUM.

Dignare benignissime JESU, per hoc san-
ctum nomen tuum, esse mihi Jesus, &
dare mihi spiritum Societatis Jesu. Intere, quæ-
so, cordi meo hoc amabile nomen tuum, ut
ejus dulcedine pascar, ejusque amore ita ardeam,
ut moriar in te JESU mi dulcissime, JESU mi sua-
vissime, JESU mi dilectissime, invocato sem-
per hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc sa-
lutifero nomine tuo JESU, JESU, JESU.

Ad Spiritum Sanctum.

DEus, qui renuntiantibus sæculo mansiones
paras in cælo, dilata omnium nostrorum
corda

corda caelestibus bonis, ut fraternâ teneamur compagine charitatis, unanimis præcepta custodiamus, sobrii, simplices, & quieti, gratis datam nobis professionis gratiam fuisse cognoscamus. Concordet nostra vita cum nomine, & professio sentiatur in opere. Qui cum Deo Patre, & Filio ejus Domino nostro vivis & regnas in sæcula sæculorum.

Ad beatam Dei Genitricem.

Cordi, quaesumus, tibi sit Maria Virgo, Dei mater optima, universi Ordinis nostri famulus: omnibus nobis impetra cor secundum cor Filii tui dilectissimi: ut qui nos ad Societatem ipsius vocatos esse lætamur, opem, gratiamque nobis, te intercedente, sentiamus adesse perpetuam. Amen.

ꝰ. Ora pro nobis Beatissime Joseph.

ꝱ. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur: Ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Pro Spiritu S. P. N. impetrando.

Excita, Domine, in Societate tua Spiritum, cui B. Ignatius Confessor tuus servivit: ut eodem nos repleti, studeamus amare, quod amavit, & opere exercere quod docuit. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, Amen.